

CIMELIA

Qu

4908

kat. komp.

Solicovius

URANUS


Cracoviae 1574



4908

CIMELIA

S. W. 195



Cim. Qu. 4908.

IOANNIS
DEMETRII SOLKIRE
LICOVII A SOLKIRE
GII SECRETARII
VRANIA:

SIVE COELESTIS ELECTIO.

DNN. STANISLAO ET
BERNARDO MACIEIOVI
IS CLARISS. POLONIAE PA
tricijs, amiciciae & amoris mutui ergo.

S.

B.

M.



AD SACRVM MVSA-
RVM COETVM.

ANDREAS TRICESIVS.

Magni progenies IOVIS
Coetus Thespiadum sacer.
Plausus innumeros dato.
Nostri exoritur nouum.
Terris sydus, & inclyta
Tollit Sauromatum caput
Vsq; ad sydera gloria.
PRINCEPS belliger ANDIVM.
Summi dotibus ingenij.
Et virtute potens, capit
REGni sceptrum POLONICI.
Sic illi aurea sacula
Sub tali redeunt DVCE
Vestro vt numine percitus
Heroa cecinit tuba
Id vates SOLICOVIVS.

ΑΓΑΘΗ ΤΙΧΗ.

VRANIAE AR- GUMENTVM.



VM SIGismundus Augustus Rex
Poloniae ex hac vita emigrasset, lupi-
ter coacto diuum concilio, quidnam
facto optimum esset, deliberat, & cū
regnorum omnium curam ad se perti-
nere intelligat, etiam Sarmatici, sibi & dñs omnibus cus-
ram habendam esse decreuit, ne in interregno aliquod
detrimentum capiat. Quærit à Dñs sententiam, quali
Rege regnum hoc opus habeat. Dicunt, Incipit auris
comus Phæbus: hunc sequitur Mars deus belli: hunc
Mercurius deus ingenij & artium: eum verò argentea
Phæbe. Forte accidit, quòd Saturnus claudicans tar-
dius peruenerat ad concilium, qui, cum animaduertes-
ret haberi Senatum se non expectato, vel potius negle-
cto, grauiter ea de re, cum reliquis dñs exposulat, & si
illud ab aliqua suspitione vel diffidentia profectum sit,
diluit, utq; sibi fidant, illis persuadet, Ostendit seum
par in Sarmatia adiuuanda studium, & fidem verbis
suis, re ipsa se facturum pollicetur. Quod cum fecisset,
non solum recipitur, sed etiam loco digniore collocatur.
Post Saturni orationem, in medium confessum ingre-
diuntur tres deæ, Pallas Iuno & Venus: quæ præfata
A ij
veniam

veniam, suam quoque sententiam dicunt, suam opem,
auxilia, ac symbola Regi futuro despondent. Quæ qui-
dem Deorum omnium concordia, cum Ioui probare-
tur, decernit, quærendum esse Regem, & omnium con-
sensu Mercurio hanc prouinciam delegat, vt in terras
deuolet, principes ac Reges omnes collustret, ac talem
quærat principem, qui proximè ad sententiam deorum
accedat. Facit Mercurius, & cum omnes orbis prin-
cipes perlustrasset, reuolat ad superos. Fit denuò concu-
lus deorum ad Iouem: Ibi in publico deorum Senatu
Mercurius, quæ sibi in terris visa recenser: depingit &
quendam Principem non ambitiosis laudibus, cui dat
polydori nomen. Qui postquam finem fecit, conela-
mant deus ac ei regnum censent deferendum esse. Datur
denuò negocium Mercurio, vt deorum nomine & re-
gnum, & symbola, à singulis deis, antea oblata nunc
collata, Iuueni Principi, quem antea laudauerat, defer-
ret. Dat Iupiter ipse suo & cæterorum omnium nomi-
ne regnum, suo verò tantum iustitiam ensiferam & æ-
quilibrem. Phæbus famæ & gloriæ ardens studium, ve-
ræ Maiestatis retinaculum; Mars arma Herculeæ; Phæ-
be seu luna vigilantiam; Saturnus perseuerantiam, &
graue de rebus iudicium; Pallas sapientiam; Iuno di-
uitias, Venus vxorem. Hæc dona Mercurius assumit,
ac ad Principem iuuenem gentis Valesiæ, occupatum
obsidione Roscellæ, perfert: munera per se præclara
verbis adornat, ipse verò ingenium illi inspirat, & lin-
guam.

gram. Ac longa oratione ei feliciter eius noui regni gubernandi tanquam digito rationem ostendit, & sine diacendi facto, statim ex oculis Principi euanesceat. Qui genibus in terram abiectis deos veneratur, ac petit, ut regnum sibi delatum bene fortunent. Interea Fama ē coelis deuolans, orbem terrarū implet, Sarmatix Regem iam in coelo electum & designatum esse. Quod ubi Sauromata intelligunt, ad eum quem fama nunciabat, nuncios mittunt, regnumq; ei deferunt. Cui uenienti Gloria mulier immortalis occurrit, ac eum iubilantibus immortalibus ei bene precando, ac eum felicibus omnibus prosequendo excipit. Hæc est Vranix summa.



IOANNIS DEME
TRII SOLICOVII A
SOLKI SECRETARII
REGII:
VRANIA.
SIVE COELESTIS
ELECTIO.

DNN. STANISLAO ET
BERNARDO MACIEIOVIIS
CLARISS. POLONIÆ PATRICIIS

amicitiæ & amoris mutui ergo.



Amdudum positas in carmina reddis
te vires

SArmatides Musæ, quibus o latita-
tis in antris,

Quando ego tot terras toties legatus
obibam

Annos tot, terris multum, iactatus & alto?
Reddico Phæbe lyram manibus, curisq; leuato
Sollicitum pectus, vultuq; oriare sereno,
Lucescant nitidi post nubila tempora soles,

SArma,

Sarmatix Regem, postquam mors inuida fudit,
 Sismundum Augustum, placida qui pace regebat *sigismundus*
 Subiectos populos: ac virtus aurea tantis
 Pro meritis ad se rapuit, cœloq; recepit.
 Iuppiter altitonans, sortem miseratus acerbam
 Terrarum, æternos procures, ciuesq; beatos
 In sua tecta vocat, Diuorumq; atq; Dearum
 Concilium instituit, veniunt ad tecta frequentes:
 Iam pater omnipotens, solio sublimis eburno
 Consedit, lentusq; oculos fert omnia circum,
 Assedere, silent; arrectisq; auribus adsunt:
 Paulatim hoc sermone Pater tandem ora resoluit,
 Augustum, o Proceres, Regem pulcherrima virtus *oratio iouis*
 Corporis exuuiis (æterna quod lege statutum est;
 Omnibus) exemptum, cœlestibus intulit astris,
 Iam medio nostrum est, terras despectat ouanti
 Lumine: at orba gemit, nimio luctuq; senescit
 Sarmatix tellus, nostrum est, qui cuncta tuemur,
 Et quando nostro pendent mortalia nutu,
 Imperia, & Reges terris dare: ne qua tumultu
 Vis subito hoc regnum afficiat, turberq; salutem
 Orbis terrarum, magnæ mihi res ea curæ est.
 Hoc studium semper vobis, hæc vnica cura
 Cœlicolæ æterni mecum: Iam dicite quem vos
 Sarmatix regno, regem dignum esse putetis:
 Dignum qui sedeat tanti ad fastigia regni.
 Conspicitis nostris ibi plenas cultibus aras:

Perpetuus

Perpetuò in vestros ibi thura adolentur honores:
Sarmatia & cœlo, & terris clarissima, primis
Par regnis, multis præstantior, illa tot hostes
Vndiq; semper habens summa virtute, virisq;
Infestas acies, funestaq; bella repressit.
Incipe qui mundi venerandum lampada gēstas:
Et dic quæ tua sit sententia, quæ tua sit mens.

hinc, sol
Hic ille auratam mulcens per tempora barbam,
Iure, inquit, pater hoc mandas: nam regibus a me
Omne decus venit, omnis honos, & summa potestas:
Libera Sarmaticis optando in Rege facultas
Oris, de nostro tantum modò numine pendet:
Hoc nos debemus populo virtutis amanti,
Debemus regem præstantem lumine nostro:
Cui præ oculis virtus, veri studiumq; decori,
Luceat, vt mea lux; fugiat scel. tumq; latebras.
Horrificam noctem, pudibundaq; munia pellat.
Dedecus vt solum timeat, sit honoris amator,
Lucem amet, & lucem teneat, lucemq; sequatur.

Pellia
Hæc vbi dicta, placent, cunctorum oculisq; proba
Contrem-vere Iouis subscelia, & ense corusco (turs
Surgit Mars, belli princeps & talibus infit.
Mars ego sum, præses belli, armorumq; potestas,
Me sine pax nulla est, sine me Respublica nulla,
Pello hostes, pacem tuor, patriamq; salutem
Conseruo, in uictis adeò duratus in armis.
Si benè consultum cupitis, mea castra sequentem

Sarmatiz

Sarmatix Regem detis, labor omnis abibit
Incassum, nisi quo creuit, Respublica duret.
Me duce creuit opus, me solo autore manebit.
Sarmatix parta est armis, armisq; vigebit.
Gloria perpetuis; imbelles mœnia ciugunt;
Ferreus ergo Rex, & sit Mauortius heros,
Ocia qui tollat, perdatq; cupidinis artes;
Defidiam ex illis oris depellat inertem.
Omne voluptatum genus arceat, & genus omne
Mollicie, redeat vetus in præcordia virtus,

Dixerat; assurgit Vates Cyllenius alæ
Cui geminæ pedibus cingunt, & tempora Crystæ,
Inq; manu dextra splendebat virga triformis,
Ingenium, scelixq; mihi facundia, dixit,
Est dono superum, quorum interpretesq; comesq;
Existo, & Regum socius sum, & fidus Achates.
Dotibus ergo meis nisi Rex ornatus ad illud
Accedat Regnum: Vana est sine consilio vis.
At Phæbe excipiens, nisi ait, mea numina Regis
Quicumq; officio fungetur, pronus adoret,
Nullus erit. Cui subridens Cyllenius inquit

Num sic instabilem, variumq; o famina noctis
PRæsēs, Vis Regem; tetrīs errare tenebris,
Vt tu, per vitam obscurus qui debeat omnem
Cui radians Phæbe; non tu verissimus ille es
Mercurius celer ingenio, verbisq; petulens? (mos
Non varium atq; leuem Regem volo, quod meus est)

B

qui

Sed

Mercurius

Lima, phæb

Sed vigilem, noctes qui non edormiat altam
In lucem: stertatq; diu, spumetq; phalerum.
Non deest ignauum tota requiescere Regem
Nocte cui regnum & sunt publica commoda curæ
Ne noctem, obscuret vitij, sed luce tenebras
Discutiat: votum hoc, ista est sententia nostra.
Mercurius cedens, verba importuna reliquit.

turnus
Falciger interea medium progressus in agmen,
Pulsus ab ætherio quondam Saturnus olympo,
Ecquid, ait, sine me sibi vestra volunt, ó amici
Consilia, atq; senem vobis iuuat esse relictum?
Ecquæ tanta tenet vestram fiducia mentem?
Si mihi tarda nimis, sæclisq; effeta senectus
Denegat imperium, seræq; ad fortia vires,
Saturnus sum ait, et sine me Saturnia regna
Quæritis? An mea quæ culpa est: nam quod gero falcem
Mæsis adest: quod canus ego, multiscius inde:
Quod claudus, non festinus, gnarusq; pericli.
Falce seco puerum, namq; est inimica iuuentus
Consilij: magno terra æstuat acta furore,
Vos etiam iuuenes præstis cœlestibus oris.
Ergo si senis intrepidi consulta probatis,
Ac gratum est quod ago, regi experientia, nostro
Munere continget. rerum & prudentia summa.
Obstupuere Dii, defixiq; ora tenebant,
Sollicitamq; intrant pauidis noua gaudia mentem,
Et modó qui suspectus erat, turbator & actus

Illius,

Illius, hunc posthac prima in subsellia ponunt.

Mercurio, nimio plausu vox faucibus hæsit.

Rem fore confectam Dñi clamauiere minores,
Et iam diuersis feriebant vocibus auras,

Vt pater omnipotens voto concluderet actum.

Hic dicenda fuit sententia summa tonanti,

Tres venere Dexæ, cuncti quarum ora tuentur

Astrigenæ, augustæ tanta est præstantia formæ.

Pallas prima fuit, magnum IOVIS incrementum, *pallas*

Vertice nata Dei, lorica pectus opertum,

Casside tecta caput, torquens hastile lacerto.

Gorgoneo vultu, scutumq; insigne gerebat,

At regina Deum, rectrix cælicq; Iouisq;

Et soror & coniunx, cognomine IVNO secunda. *Iuno*

Aurata chlamyde, & crines nodantur in aurum,

Sceptra manu, auratamq; ferens in fronte coronam.

Blandior his Cytherea, Deum genitrixq; sororq; *Venus*

Ex humero auratis cui plena pharetra sagittis,

Hæ veniam dictis præfata talibus orant.

Quas ante iratas, crudelia bella gerentes

Vidistis superi, concordî pectore vinctas

Aspicitis, liuor cessit, lis tota quieuit,

Nil ita cœlestes, decet vt concordia ciues.

Expedit vtq; edat concors electio Regem.

Non importuno nos huc ingessimus ausu

Sed tua iussa sumus, rector venerande sequuta.

Est eadem nobis pietas, debemus & ipsæ

B ñ

Multum

Multum Sarmatiae, neq; fas est lingvere nobis
Sauromatas, fortesq; viros, armisq; potentes,
Subiectos nulli populos, & libera regna.
Ergo pater magno dona, te rege precamur,
Da Regem inuictum, res qualem & tempora poscunt,
Da qualem orantes nunc numina nostra fatigant,

palladis Pallas ego, mecum ratio: sapientia mecum est.
Omnia possideo, mea vis, de te pater alma
Defluxit, diuina mihi & tecum æqua potestas,
TV quem monstraris digito, regemq; notâris,
Participem propriô faciam, de munere, eumq;
Efficiam sapientem, à primo flore iuuentæ.

ionis Ast ego IVNO potens, diuum regina sororq;
Me nihil & cælo, & terris foelicius extat,
Per me diuiciæ, per me tribuuntur honores.
Per me immortalis seruatur gloria facti.
In me quicquid erit, quæcunq; potentia nostra est,
Mecum erit iste labor, stat in hoc mihi certa voluntas,
Vt quem designes regno sceptrisq; gerendis,
Huic à me detur de pleno copia cornu. (Deumq;

aris Non ego blanda VENVS. genitrix hominumq;) *8*
Desero iure meas, non inquit, prodo sorores,
Est eadem mihi mens, in regnum hoc, & fauoridem,
Ast tantum licitis mihi mens in amoribus errat,
Concubitusq; vagos odijs ardentibus odi,
Lege Deumq; hominumq; æqua commertia iungo.
Numinibus certe vetus est iniuria nostris,

Quód

Quod me lasciuam, quod me dixere petulcam.
Sum Dea connubii præsces, iustiq; hymenæi,
Ergo iure meo Regem præstante puella
Donabo: hanc talem cum virginitatis honore
Connubio iungam stabili, propriamq; dicabo:
Ut secum longos animis concordibus annos
Ducant: & pulchra faciant se prole parentes.

Postquam sic finem dictis Cytherea peregit;
Conticuere omnes, intentiq; ora tenebant,
Iuppiter in caluit, verbisq; silentia rumpit.
Quid cessamus, ait, verbis imponere finem?
Res eadem est vnum studium, par gloria vobis
Nobiscum, sed & a me haud indotatus abibit
Rex hic Sarmatiae, quem hodierna luce creamus;
Hunc ego iustitiæ exornabo munere nostræ,
Astræamq; illi sociam, fidamq; cubilis
Custodem dabo. Nil firmum Respub: nouit
Nam sine iustitia, nil sentit terra beatum.

Ergo cœlicolæ postquam concordia vota
Sunt vobis, verbis quid opus iam pluribus inquit?
Mercurius, nostris qui promptus nutibus astat,
Ille petat terras omnes, volet illicet Euro,
Quærat sub toto qui sit magis aptus Eoo
Muneribus nostris, qui tantam sustineat rem
Et qui in se tanti assumat inolimina regni.
Heroes terris, videat, quid agantq; gerantq;
An sibi commissas iustè moderentur habenas;

B. in

Nam

Num non crudēles, num iusta atq; æqua tuentur,
Num pacem terris reparent, reddantq; salutem
Afflictis: Nondum pater optimus omnia dixit,
Exoritur clamor toto, & nouus ardor Olympo.
Dieta probat, summi diuumq; hominumq; parentis,
Nec mora Mercurius pennistalaria nexus,
Iussa Deum exequitur, terras petit, æthera linquit.
Atq; volans pronus molles vix commouet alas,
Constitit vt terris, oras circumspicit omnes.
Et voluit secum tacite labentis ad vndas
Fluminis ignoti, sibi primum qua sit eundum
Quamq; tenere viam, quas debeat ire per oras,
Mox alios vultus, ac humana induit ora,
Vtq; sit ignotus, formas se mutat in omnes,
Qua pergit, crystam ponit, plumasq; recondit:
Mensis erat, quo prata virent, segetesq; per arua
Luxuriant, & aues concentibus aera mulcent:
CVM genitus Maia, incipiens Aquilonis ab ora,
Aulas heroum totum lustrando per orbem,
Qui ritus, quæ gesta viris, qui deniq; mores,
Impiger explorans animo mandabat auenti.
Quale æstate noua virides dum peruolat herbas
Agmen apum, gustuq; probat, cunctasq; pererrans
Dulcia mella legit, sic diuum nuncius oras
Terrarum varias circumspicit, & celer haurit
Cuncta oculis, vbi comperiat quæ iussa fuerunt,
Iamq; ita perlustrans cunctos ex ordine Reges
Heroumq;

Heroumq; domos, mores, incautaq; gesta
Orbis pertesus, sublatus in aera magnum,
Remigio alarum nitidis se se abdidit astris.

Iuppiter omnipotens, vbi vidit adesse reuersum *Mercurius*
Mercurium, aternos vocat, ad palatia diuos *his ad ionem*

Conueniunt plures numero, atq; sedilia complent,

Hic diuum interpres, vidi pater optime dixit

Terrarum populos, regumq; ducumq; cohortes,

Ius nullum est terris, nullus virtutibus æquis

Est honor, vsq; adeo paucos heroica celsi

Vis animi sceptris præstat regalibus aptos,

Austriacam præter gentem, gentemq; potentis

FRancigenam regni cui clara Valesia nomen,

QVos inter princeps fulgentibus acer in armis

Lilifer, insigni fulget virtutis honore,

Dotibus innumeris præstans polydorus ab ipsa

Progenitus matre; hunc metantem Martia castra

His oculis vidi disponentemq; cohortes.

Turmarumq; Ducem: quem non luxusq; Venusq;

Non Bachus, ludi, non oblectatio vana

Detinet, at famæ studium, rectiq; boniq;

Numinis & vestri seruens ante omnia cultus.

Quid dubitatis adhuc illi transmittere regnum,

Et tanto heroi donaria mittere vestras

Iuppiter exclamat, si istum decernere Regem

SARmatia vultis, quem noster prædicat acrem

Nuncius esse virum, componite munera vestra,

Mittamusq;

Mittamusq; illi regnum, mora plena pericli est,
Vndiq; nam nostris cinctum esse hostilibus armis,
Insidijsq; patere malis, concordia sola
Quam seruant dono nostro hæc aduersa repellit.
Atq; vtinam seruent, vtinam cœlestia noscant
Munera, seruabunt & se patriamq; salutem
Sauromaræ: dixit, fœlicia numina quando
Consurgunt, alacres, promissaq; munera plenis
Dant manibus, certant secum benefacta Deorum.
Iustitiam, pater omnipotens gemina arma ferentem,
Dextra ensẽ rigidum, læua libramq; intentem.
Eñsis erat, defende bonos, & plectẽ malignos
Inscriptus, fuerant æqualia iura bilanci.
Dat maiestatem Phæbus, dat laudis amorem;
Dat Mars belli fremens arcum, clauamq; tricornem
Amphitryoniadis, generosiq; ora leonis,
Saturnus graue iudicium prauisq; seueræ
Ora dat, ast Phœbe vigilantia pectora donat.

TRES diuæ surgunt, quas iam memorauimus ante,
Et sua dona ferunt factis promissaq; firmant,
Dat sapiens pectus Pallas, dat Iunõ sed aurum
Munificus quo sit, meritis quo præmia donet,
Clementem Cytherea facit. tedasq; iugales
Confert: Mercurio traduntur munera lecta
Ille ferat, regem & pronunciet esse creatum.
Tum uero ingeminat clamor, cunctiq; morantem
Instigant studijs, resonat clamoribus æther,

Dñ quibus imperium cœli est, a quorum ego nutu
Pendeo, ait, merito mihi vos mandare potestis,
Grata mihi a vobis datur hæc prouincia, gratum
Officium quod ego non impiger exequar, & iam
Sedibus excedo æthereis. terrasq; reuiso,
Ipse dabo ingenium variasq; ex ordine linguas
Inspirabo lubens olli, & nostræ artis amorem.

Hæc fatus, niueas aptauit corpore plumas,
Et data dona legit, moxq; aliger æthera transit.
Haud aliter, cum stella polis ruit igne corusco
Ima petens, lucemq; trahit. post terga sequentem,
Desiliens cœlo sic diuum nuncius alto
Terrarum pronus, celeri petit ima volatu,
Quaq; volat subito post se luce æthera complet.
Sol medium cœli conscenderat igneus orbem,
Cum pone Hesperias labens Cyllenius oras,
Littore in Oceani vestigia candida ponit:
Hic vbi cum Gallis tellus vicina Britannis
Congruit: hic vbi Ruscellum clarissima rupes
Continet, hoc dicunt Rupellam tempore nostro:
Difficiles aditus vix vna parte relinquit,
Cætera pontus habet, muros mare subluit altos,
Hic astare videt, fulgentes ære cateruas,
Stant armatæ acies, glomeratur lecta virum uis,
Quos inter medius Princeps pulcherimus ibat
Acer equo armatus, disponitq; ordine turmas,
Esses o vtinam nunquam Roscella rebellis,

Neue adeo placidi læsisses principis ora,
Sed foelix potius, quod signa infesta tulisti
Principis ingenui, qui quantum vincere nouit,
Parcere subiectis, veniamq; precantibus ultro
Ille sciet: secum Deus hæc sub corde volutar,
Et tacitus spectat turmas, tormentaq; circum,
Atq; ducein grandi torquentem hastile lacertos:
Miratur fortem, gemit, ardescitq; tuendo:
Fœlices terras & secula principe tali,
Et fœlix regnum, decus hoc cui fata pararunt,
Hoc ille ingeminans suspiria ducit ab imo
Pectore: nam princeps placidissimus abstinet omni
Vi, tantum horroris mandat displodere causa
Tormenta, vt redeant ad cor quarantq; salutem.
Et iam tempus erat, pelagi cum Phæbus in vndas
Mergere vellet equos, iussæ statione relicta
Corpora curatum turmæ in sua castra recedunt:
Regius & iuuenis postquam pro nocte sequenti
Signa dat excubijs, propria in tentoria venit,
Nuncius at diuum sequitur vestigia furtim,
Alloquiturq; prior: Princeps gratissime diuis,
Magnorum soboles regum, quos Iulia signant,
Fautores tibi Dñ, te Iuppiter æquus amauit.
Inter & innumeros reges facit esse beatum.
Sarmatiæ regnum tibi dat, mittitq; Coronam,
Regia scepra tibi, motus virtutibus istis,
Quarum laus cœlos pridem penetrauit in ipsos,
Iustitiamq;

Virg ad
Cicero ad

Iustitiamq; sacram, cœlestia munera mittit,
Dat gladium exortum manibus rectamq; bilancem.
Neu tibi quid desit, diui quoq; munera mittunt,
Igneus augustam dat sol tibi maiestatem,
Dat famæ studium, dat veræ laudis amorem
Omnibus vt charus populis & amabilis esses.
Gradiuiq; patris quod primo a limine vitæ
Armisonum numen coluisti pectore toto,
Ista te pharetra donat pulchrisq; sagittis,
Herculæ claua, & generosi pelle leonis,
Dat vigilans tibi cor, o Rex argentea Phœbe,
Vt vitium semper pellas virtutibus æquis,
Et noctem vitæ, virtutis lumine tollas,
Peruigil in patriæ noctuq; diuq; salutem.
Saturnus tibi dat mentem sensusq; profundos,
Vt tibi mens constans vigeat toleransq; laborum,
Et tibi terribilem vultum sua dona scelestis
Impertit, quo te timeant, vereantur, adorent,
Mittitur a casta sapientia Pallade, quæ te
Ceum caram sobolem, propria in sacraria ducat.
Diuitias dat, IVNO potens: Venus alma iugales
Dat tædas, placidos generoso & pectore mores.
Hæc sunt quæ Diui tibi mittunt munera Princeps
Magnanime: at quia sum quoq; diuum ex ordine præses
Ingenij, tibi do ingenium, linguasq; parabo
Complures, populi plures tibi namq; regendi.
His opibus fultus commissi munia regni

C ij

Implebis

Implebis prosper, cunctis foeliciter annis.
Sensibus hæc imis at iam mandata reponas,
Quandoquidem inuictum diuorum numine regnum
Te manet: vt primum qua sis ab origine cretus
Maioresq; tuos videas & mente reuoluas.
Quis nihil in vita fama præstantius omni
Exitit, & quorum moriturum tempore nullo
Est nomen. Magnum hoc semper sanctumq; tuetor,
Hinc videas qualis sumas moderamina regni
Nam talis regni quod nemo vindice fato
Vnquam compressit bello, legesq; superbas
Ferre dedit, quamuis tot ab hostibus vndiq; cinctum.
Sarmatico nemo est victor dominatus in orbe.
Libertas genti est proprium decus, alterum honestas
Publica, quæ tanquam vinclis & compede dura
Ordine prognatus semper constringit equestri,
Hanc solam propter, metuunt discedere recto.
Non pœnas metuunt, non vincla minacia tantum,
Quantum dedecoris pœnas, infameq; nomen.
At nil te moueat, nullum pariatq; pudorem,
Sarmatiæ niteant, quod paucis mœnibus vibes,
Nec valde elatas tollant ad sydera pinnas,
Oppida non Lachicis dant propugnacula regnis,
Sunt fortes equitum turma, innumeræq; phalanges!
Quæ decus & regni robur, quæ gloria tanti
Imperij: sunt semper equi, sunt arma, solumq;
Fertile, cum donis Cereris, tum dulcis lacchi,
Diues opum & studijs asperrima natio belli.

14
His rebus primum teneri primordia regni
Creuerunt, viresq; auctæ, lateq; patientes
Adiunctæ regno terræ, tot regna, tot vrbes,
Teutoniæ a terris. Euxini ad littora ponti,
Deinde a Carpatîs, Hunnorum finibus antris,
Vsq; ad Hîperboreas, Moschorum principis oras,
Hos tales populos, hæc tam foelicia regna,
Diue tibi pridem clementia fata pararunt.
Et nunc te Regem faciunt, statuuntq; beatum,
Pastorem magni populi, regniq; potentis.
Et quamuis varias gentes, populosq; feroces
Tam latum regnum teneat: tamen omnibus illis
Mirandum erga te Deus inspirabit amorem:
Vt de te postquam dici, mea maxima cura,
Audierint, subito veluti certamine quodam
In te procumbant, in te sua pectora flectant:
Et licet ignotum magno amplectantur amore,
Ignotum poscant, ignoto regia mittant
Sceptra, sibi & Regem te animis ardentibus optent,
Neu quæ fors turbet regnum conspexeris illud.
Hostes hos superi varijs erroribus omnes
Inuoluent, quorum arma, viros, viresq; paratas
Consilîs cassas reddent, spargentq; per auras.
At tu pro donis superum, immortalia contra
1 Numina fac redames, & auitis cultibus aras
Illorum gratus venereris fœdere casto.

2 Dehinc cole iustitiam, tanq; matremq; ducemq;

- Præmia ne vicis, pænas virtutibus addas,
 Integer, at sua cuiq; dabis quæcunq; meretur.
- 3 Nec tibi siquæ forte volet noua factio mentem
 Deturbet recto, reliquis infensus vt esses.
 Hoc moneo partis ne sis minus vnius aut plus,
 Semper at existas æqualiter omnibus idem.
- 4 Blandisonos fugias Syrenum diue: susurros.
 Primum dulce canunt, sed post in Tartara mergunt
 Tristia: sepè nota regum bona nomina turpi
 Commaculant, varia peste, inficiuntq; venenis.
 Publica priuatis, & quæq; miserrima regnis
 Inducunt, ergo tibi sint ceu lurida pestis,
 Et foecunda velut soboles Acherontis auari.
- 5 Iam verò laudesq; tuas nomenq; sacratum
 Mollicies tibi non demat, non blanda voluptas
 Eripiat: laudi regum est inimica voluptas,
 Et quicquit sacrum est miseranda labe prophanat.
- 6 Redde Bolellaos regno, florentia redde
 Sæcula, tolle caput bello, martemq; iacentem
 Excita, & antiquos reuoca fortissimus ausus.
- 7 Sorteque bellorum posthac scèliciter acta,
 Da placidam pacem terris, regnumq; quietum
 Latus habere iube, Iouialia sumito rursus
 Arma manu, & placidas regni modereris habenas.
 Cumq; tibi charis, longa potiare senecta.
 Hæc tibi Dñi superi non primum munera mittunt,
 Sed data iam pridem firmanr, campumq; patentem
 Ostentant

Ostentant, tibi quo nomenq; decusq; parabis
Perpetuum, & meritum, quali post vltima fata
Ex folio Regum, cœli remeabis in oras,
Cum Dhs æternos fœlix habiturus honores.

Talia diuino Cyllenius ore loquutus
Mortalem visum, abrupto sermone reliquit.

At verò iuuenis, sine obstupescit in ipso,
Ecquid agat, dubitat, cui verbum reddat amicum,
Et cui pro tantis dignas persolvere grates
Debeat oblati: hæc illum cura remorder,
Quòd nemò iam adsit, cognoscere multa volenti,
Et mox deflexis genibus, cum certa putaret
Iam promissa Deum, niueas ad sydera palmas
Tendens, flammato sic secum ex corde profatur.

Non ego me tanto o superi, dignabar honore, *Responsim He*
Progenies quamuis magnorum munere vestro *ad superos*

Sim regum, toto præclari sanguinis orbe,
At saltem patriæ natum me, in nostra putabam
Commoda: sed quando sic me ad noua regna vocatis,
Non ego diuitias tanti, rubriq; lapillos
Æquoris, in fanus facio, nec auarus opum vim,
Quanti nunc per vos oblati munera regni.
Iamq; igitur vestro, cum me fœlicia nutu
Régna manent, date finem operi, cæptoq; labori
Aspirate: meos quò vultis ducite gressus.

Hæc fatur lachrymans, & nulli visa recenset.
Interea cœlo terras it fama per omnes,

Atq;

Atq; salutaris totum implet nuncius orbem.
In cœlo electum Regem, qui candida gestet
Lilia: qui latas generosa Lachidos oras
Imperio regat, & populo det iura potenti.
At se prima tamen veteri notissima forma
Sarmaticis infert regnis, vt facta renarret,
Fama bonum, quo non aliud iucundius vllum,
Quid fecere Dñ, qualemq; ex ordine narrat,
Elegere ducem, sceptro regnisq; futuris.

Atq; in eum occultum cunctis inspirat amorem.

SAuromata, postquam venit latissima fama,
Impleuitq; auidas, dictis ardentibus aures.
Instituunt quoq; conuentus, diuosq; sequuntur,
Et faciles precibus superos in vota vocantes
Legibus excelsis parent, superumq; statuta
Accipiunt, I-Henricum optant de gente Valesa
Concordes, regni ad molimina tanta gerendi.
Non vi compulsi, non vllo munere flexi,
Sed sola laudum fama, cœliq; fauore.

Liuidus & quamuis stygñs surrexerat vmbri
Falsa serens rumor, qui vertere candida nigris
Ceperat, atq; animos diris implere venenis,
Sed pater altitonans, collecto nubibus igne
Fulmineo telo sub tartara trudit hiantem
Mortiferas voces, ac tristi carcere claudit,
Turbatos mulcetq; animos, pellitq; timores.

Iam dux Henricus, Rex conclamatur vbiq;

Publica

Publica latitæ cunctas dant signa per oras:
Sauromatæ, lætiq; Deos venerantur amicos.
Et mox legatos, quorum prudentia nota,
Decernunt sancto præstantes octo Senatu.
Conarium primum, Posna qui præsul in vrbe est,
Albertum Lascum, cui virtus bellica clarum
Nomen habere dedit: prognatum sanguine claro
Tencinium Comitem: prudentem orisq; disetti
Tomicium: Herburtum veræ virtutis amicum,
Ingenio intactæ penetrantem Palladis arces.
Gorcanum Comitem Andream, cui dulcis in ore
Eloqui vena est, & pulchra modestia vultus
Stanislaum Criscum, præstantem animoq; manuq;
Radiuilemque Ducem, cultum linguisq; boniq;
Dotibus ingenij, & pulchris virtutibus acrem.
Quinq; sed ex medio legit ordo, atq; addit equestris.
Firseium iuuenem egregium, natumq; potenti
Patre Palatino Gracci, pietatis amantem.
Ianum Zamoseum, præclarum dote Mineræ
Dulcisonæ, Latijq; decus, nostrumq; perenne.
Sborosium Ianum intrepidum Marriq; vel ipsi
Terribilem, & placidum quoties opus atq; benignum.
Tomicium iuuenem, quem exornat docta iuuentus,
Et placidi vultus, & sunt sine crimine mores,
Pronscum & Alexandrum, cuius Kiouia patre
Clara Palatino viguit, meminitq; trophæa.

Hos omnes in Francigenum Respublica mandat

D

Ire

Legatio missa
has.

Ire oras, decreta ferant, Regemq; saluent;
 Et secum ad Lachici ducant fastigia regni,
 Ac veluti quando sponsæ regione remota
 Sponsus abest: gemit illa dies noctesq;, nec hora
 Libera, sollicitum gemitu requiescere pectus.
 Permittit, Sic Sarmatiam nocturna diurna
 Cura edit, absente hoc sponso, cui regna dedere,
 Quotidie absentemq; oculis animoq; requirunt.
 Et quamuis parua est absentia longa videtur,
 Longa vel vna dies, lenta maioribus horæ
 Procedunt spatijs; donec potiantur amato
 Principe, qui cœlo datus est scælicibus astris.

Ecce autem, in somnis veluti post tædia noctis,
 Post curasq; graues, suspiriaq; alta, rubentem
 Auroram terris præmittens, omnipotens sol
 Exoritur, vultusq; suos spectantibus effert,
 Diffugit ex oculis vigilatę noctis imago.
 Dispereunt tristes curæ mortalibus ægris,
 Et redeunt vires, sanguisq; per ossa cucurrit.

Non secus Henricus venit expectatus in orbem
 Lechiadum: iam adsunt densæ, præeuntq; phalanges;
 Dispositis volitatur equis, regem esse propinquum,
 Certatim occurrunt animis gratantibus omnes.
 Respirant cuncti: vitalis spiritus ossa
 Imbuit, & vanum deponunt corda timorem.
 Spes iam discedit: pro spe res ipsa subintrat,

nns rex in
 ediens Gra
 nrm urbem.

Et iam intrat medius Princeps pulcherrimus inter,

Tot

Tot turmas: tot equi, tot signa, tot agmina circum
 Miscentur: tuba rauca sonat, clangoribus æther
 Intonat: horrendas vulcania fulmina flammæ
 Explodunt: ferroq; nitent, auroq; superbo
 Omnia collucet: stant aurea Lilia supra
 Iuncta Aquilis, Litauicq; equitis victricibus armis:
 Exultant animis cuncti, ferit ardor Olympum,
Mistaq; cum lachrymis animos noua gaudia tollunt.

Hos inter fremitus hominum, & solennia festa
 Intrans Regis pompas, amplosq; triumphos
 Fæmina diuino vultu, niueoq; capillo
 Purpurea palla, tunicisq; nitentibus auro,
 Laureæ ferta gerens, manibus palmamq; virentem,
 (Nescia forma mori visa est, & nescia vinci)
 Cunctorum se se medijs conspectibus infert,
 Et Regem accedens, veteriq; ex more salutans
 Talibus affatur dictis, & iubila miscet.

Gloria sum tua Rex, sum gloria vestra Poloni.
 Sum Litauæ, sum Masouij, sum vestra Borussia,
 Sum tua Russe ferox, tua sum Podoline, Volince.
 Vos ego, uos omnes cælestibus alma recondam
 Syderibus, vestrumq; decus super æthera tollam,
 Me quia quæstistis, vobis me me ipsa fauentem
 Exhibeo, inuentu facilem, quibus aurea virtus
Est cordi: qua sum terris genitrice creata,
 Et quos ingenui primus capit ardor honesti.
 Virtus me genuit, virtus nutriuit Olympi

*Gloria orationis
 non inuadit*

Dij

Sedibus

Sedibus æternis, vobis mea munera largé
Dono, & vobiscum semper victura manebo.
Rex HENRICE huius regni, iam duxq̃, caputq̃,
Expectatus ades populis, regnisq̃ patentis
Sarmatiæ: Tibi plaudit ouans Respublica tota
Christiadum: socij Reges gratantur amico.
Sub tua sceptrâ cadunt, bellum quicunq̃ minantur.
Nulla tuum potuit violare calumnia nomen,
Et non Alecto Stygij producta cauernis,
Et neq̃ liuor edax, non vana insania pennæ
Infamis, potuit foelix subuertere fatum,
Quo magis vrgebat liuor, magis ibat in altum
Henrici nomen, cœlos pulsabat & ipsos,
Accensas ita voluebant incendia flammæ.
Regnum igitur varium, studijs concordibus, ad te
Delatum agnoscis, & credita munera sumis.
Expectatus ades cunctis, quos viuida virtus,
Et quos æternæ rapit ad se gloria famæ.

Non tantumq̃ viri, quorum spectabilis ortus
Nobilitate viget, læti tua grata tuentur
Ora, quoq̃ ex minimis plaudunt, plebs infima gaudet,
Et pro te superis persoluit vota benignis,
Innocui pueri gaudent, castæq̃ puellæ
Atq̃ senes tremuli, nuptæ, socrusq̃, nurusq̃.
Aspicio has lachrymas, hæc vota gementia plebis,
Omnia sunt pro te, pro Regis cuncta salute,
O si iam videas animos, si pectora cernas,

Quantus

2
Quantus ibi feruor, quanti grassentur & ignes,
Quantum te Regi superum debere putares
Auctori rerum istarum? quantumq; colendam
Iustitiam, qua regna vigent, tibi semper haberes
Ante oculos, clemensq; tuis & iustus vt esses.
Ecce elementa fauent, tibi iam, pro teq; laborant,
Oblatis veros plausus & honoribus addunt.
Annus & is praesens, postquam tua nomina sensit
Ordine constanti tibi iam sua tempora dixit,
Aspera Bruma fuit, ver blandum, aestasq; serena
Fructifer autumnus, large sua dona ministrant.
Te mors saeva fugit, quæ plurima corpora tabe
Pestifera, ante annum tristi demersit Auerno.
Mors cum peste abijt, tecum redit aura salubris.
Te timer' atra fames, quæ pressis dentibus Orci
Luctiferas subito ruit indignata sub umbras.
Iam tecum lætæ segetes, tibi consonat æther.
Alma Ceres tibi lata fauet, cumq; vbera vena
Omnia produxit: Tellus, cælumq; profundum
In tua conspirant bona, quo tua commoda firment,
Meq; tibi, nullo morituram tempore, seruent.

Hæc fata exhibuit raium viridantis Oliuæ
Regi, quem complexa manu est, baccamq; virentem
Crinibus implicuit sacris, quam nec Iouis ignes,
Nec poterunt hostes, nec edax abolere vetustas.
Quo facto in densum heroum se immiscuit agmen.
Dicite Saurōmata, quis iam felicior isto
Hoc interregnum potuit concludere finis?

28
ANDREAE TRICESII
EQVITIS POLONI.

AD SERENISSIMUM
ET POTENTISSIMUM PRIN-
CIPEM HENRICVM DIVINA FA-
uente clementia POLONIAE Regem, Magnum Ducem
LITVANIAE, &c.

Carmen, quo illi felicem aduentum ad capessendum
totius Sarmatiae imperium gratulatur.

HENRICE atollas
OPTATVS siquidem
NOSTRAE Diuorum Re
DVX Andegauum nuper:
INCLYTE sunt maior
GENTI Christiadum felix
VENISTI lux
LAETIS Sauromatum,
SCEPTRIGER Imperium
AVSPICIIS ruat
MOSCORVM ut Princeps,
IMMANIS Vitam: tua
CANTANDVS tunc
PRINCIPE te genti
VICTO re in dulci
ALTER eris
SAVROMATIS eris illa grad
AMPHITRIONIADES

Directum ad Sydera corn V
Venisti in tempore genti I
X Augustissime nut V
M oderanda Polon A
A tibi nunc scepra: quod ut si T
V elut arbiter orbi S
O minibus nitidissima in aru A
R ecturus fortis, & ace R
T ot genibus ecce refertu M
A lle tuis cum gente prophan A
V iolenta & cade profunda T
S int post omnia uict I
A stripotens eris, incluta nostr AB
N ata est quod gloria: te quo D
D abitur iam uiuere pac E
I deo, celso clarissima done C
V leus, perdomitor t V
M onstrorum laude perenni S

ELOGI

ELOGIVM

Eiusdem Sacræ & Serenissimæ Maiestatis Regiæ.

Horror	Hypoboreis	Henricus	Hic	Hofibus	Herod
Excellens	Erit:	Exornabit	Et	Euehet	Eius
Nobilitate	Noua	Nomen	Nunc	Nobile	Nomen
Rex	Regimen	Rectum,	Russorum	Rege	Ruente
Inclutus	Imperia	Incipiet	Ioue	Iusta	Iuuante
Christum	Corde.	Colet:	Christo	Curante	Coronæ
Victoria	Vt	Vigat:	Valesia	Vivida	Virtus
Sauromatū,	Semper	Se	Sorte	Sequente	Secunda

ALIVD.

Henrico CHRISTVS placidè nunc Lachia clemens.
 AVxiliorum adest qui tibi semper erit.

CANON.

Construe sic alios quos det constructio versus
 Verborum sensus sic tibi planus erit.

*Christus adest placidè, qui nunc tibi Lachia, semp
 Henrico clemens auxiliator erit,*

AD IOANNEM DE
METRIVM SOLICOVIVM.

Andreas Tricesius.

Diuinum Regem, diuino munere lectum,
Diuine vt vates hic tua Musa canit,
Quamuis ante tibi multum debere fatemur
Propter constantem, mirificamq; fidem,
Atq; tot exhaustos noctuq; diuq; labores
Ingenij magna dexteritate tui:
Non minus hoc etiam debere hunc nomine grates
Iudico promeritas sæpè referre tibi,
Talibus ornaris quòd eum, quæ perpete viuunt
Laude, sacro afflatus numine, carminibus.

AD EVNDEM.

Viue decus patriæ SOLICOVI, splendida virtus
Cuius sacratum tollit in astra caput.
Viue, tuisq; DEUS meritis æqualia donet
Præmia, sic magnos maximus inter eris.


CRAcouiæ in officina Scharfenbergiana

Anno 1574.

Dystichon nūmerale de fūga regis eiusdem
M. D. LXXIII die XVIII Ivnij.

*Ex Volat e terris ales cristata polons,
Vt f. Vitem stetit terras, Anno etc recessit.*

A. DALEWSKI
INTROLIGATOR
KRAKÓW
Kopernika 6.



Biblioteka Jagiellońska



stdr0033377

